



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Admiranda Elidis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

In templo *Inus* futura dormientes prævident. Præterea in paludem, quæ etiam *Inus* dicitur, solent liba proicere, ea si demergantur autumant promitti felicia proiicienti; si aqua munus reiecerit aduersa expectant. *Pausanias in Laconicis.*

In *Tænaro* olim fons qui introspicientibus præbebat aspiciendas naues, quæ portum subibant. Aquæ miraculum fœmina abstulisse dicitur, cum in eo vestem pollutam menstruis abluisset. *Idem Pausanias.*

Vidi ego (inquit auctor) Delphinum qui puero, à quo sanatus erat ex vulnere quod à piscatoribus acceperat, penderet mercedem, huc & illuc eum circumferens. *Pausanias ibidem.*

Herba nascitur in *Taygetâ* monte *Charisios* dicta, quam mulieres initio veris collo alligantes, vehementius à maritis amantur. *Plutarchus in libello de Montibus.*

In *Chronio* monte nascitur lapis *Cylindrus* dictus, sic dictus ab casu qui ei contingere solet. Quoties enim fulgurat, aut fulminat, toties à culmine montis sponte deuoluitur. *Idem Plutarchus ex Dercyllo lib. 1. de lapidibus.*

In *Eurotâ* fluuio lapis gignitur *Galezæ* simillimus *θεγούδαλος* dictus, qui quamprimum tubam inflare senserit, illic in ripam quasi ad pugnam solet exilire. Quod si quis tum Athenienses nominarit, extemplo in altum demergitur: cuiusmodi lapides multi *Mineræ* consecrati. *Nicanor lib. 2. de fluminibus.*

*Aristomenes* Messenius 300. *Lacedæmonios* occidit: missus in specum per cœuernas effugit; iterum captus ad ignem lora combussit. Mortuo demum cum pectus apertum esset cor hirsutum repertum est. *Plinius lib. 11. cap. 37.*

#### N V M. 4. Admiranda Elidis.

*ELIDE* mulier ab *Æthiope* adultero imprægnata filiam peperit albam: sed ex eâ filiâ, & homine Græco natus est filius *Æthiops*. *Antigonus cap. 122.*

*Alpheus* fluuius vitiligines, & impetiginem curat, vnde & nomen accepit. *Strabo libro octauo.*

In vrbe *Elide* *Pelopsis* os eburneum, seu costa seruabatur, statisque temporibus morbo laborantibus ostensum, videntibus salubre salutiferumque existebat. *Plinius.*

Ibidem terra cibo mixta, efficit eundem meliorem, & exquisitioris saporis. *Apollonius cap. 33. ex Theophrasto.*

In ludis Olympicis cum multi milui aduolent, ut rapiant carnes, tamen sacrificia non attingunt: quod si eas rapuerint (inquit Plinius) lugubre creditur ostentum. *Apollonius cap. 10. ex Theopompo: & Plinius lib. 10. cap. 10.*

In vrbe Olympiâ cineres sacrificiorum Alpei fluij aquâ macerantur & diluuntur, iisque inducitur ara; aliâ aquâ id fieri non potest. *Plutarchus de defectu oraculorum, & Pausanias.*

Elei multitudine muscarum pestem afferente sacrificant Deo, quem Myaron vocant: eodem die, quo litatum est omnes muscæ intereunt. *Plinius lib. 10. cap. 28.*

Elei extra fines suos deducunt equas suas admissuras marem, & hæ mulos non pariunt ex asinis, ut alibi; *Plutarchus in questionibus Græcis.*

Elei certo die in templo Bacchi, tres lagenas obsignatas collocant, quæ resignatæ, plenæ vini reperiuntur. Addit Aristoteles vocari peregrinos ad rem explorandam. *Pausanias in posterioribus Eliacis, & Aristoteles in Admirandis.*

#### N V M. 5. Admiranda Arcadiæ.

In Arcadiâ nascuntur vites quarum vinum viros ex rationis vsu dimouet (rabiam viris procurare ait Plinius) sceminis verò affert fecunditatem. Quod ait Athenæus vitibus ad Heræam contingere. *Ælianus lib. 13. varia histor. Plinius lib. 14. cap. 180. Athenæus lib. 1. ex Theophrasto.*

Nascuntur in Arcadiâ Eurotas & Alpheus, & ex eodem fonte, in quo si quis coronas duas vtrique fluuii suam consecravit, eaque in communem vtriusque fluxum proiecerit, eam quæ fuerit Eurotæ consecrata Eurotam, alteram quæ Alpheo, Alpheum reddere. *Strabo lib. sexto.*

Nascitur in Arcadiâ herba Centaurea, aliter Choronia dicta cutandis vulneribus aptissima; ea si mittatur in ollam cum carnis, carnes omnino inter se connectentur. *Plinius lib. 25. cap. 6.*

Styx aqua omnia vasa dirumpit præter cornea ait Antigonus; præter mullina aiunt Plinius, & Vitruuius; Equinam postulat Pausanias; Plutarchus Asininam, & hæc affirmat sublatum esse